

requit, ita nec infamia incurri ob crimen nere occultum. Concordat, c. *Ex tenore*, 4, etc. *Quæsitum*, 17, de *Temporib. ordinat.*, ubi occultus criminosus, puta reus adulterii, perarrii, vel hujusmodi (excepto homicida) post pœnitentiam potest in ordinibus jam susceptis ministrare, nec debet in suscipiendis impediri: et consequenter talis, quamdiu crimen est occultum, non censetur infamis, neque irregularis.

228. *Privatus voce passiva eligi prohibetur.* — VII. *Utque non sit privatus voce passiva*, sive a jure, sive ab homine: nam talis hoc ipso eligi prohibetur. Sic censetur ineligibilis, ac impostulabilis, qui non servat interdictum, ut cap. 1, de *Postulat. prælat.* Similiter, si in eujuspiam electione, seu promotione ad prælaturam intervenerit simonia, tunc is in detestationem tanti criminis redditur omnino ineligibilis, ac incapax talis beneficii, licet ipso ignorante pecunia ab alio fuerit data; dummodo hoc non sit factum in fraudem electi; ut c. *Nobis fuit*, 27, de *Simonia*, et cap. penult. de *Elect.*, et alibi. Simile quid accidit in illis casibus, ubi per statuta particularia, præsertim apud regulares, certis delinquentibus ipso facto imponitur pœna privationis vocis activæ, et passivæ: quanquam apud istos plerumque talis pœna non incuratur, nisi post declarationem a prælato factam; prout de Ordine Fratrum Prædicatorum monet Passerinus, cap. xxv, de *Election.*, ac in Ordine Fratrum Minorum ordinant statuta generalia, cap. vii, § 6, n. 40.

229. *Rejectus ab electione an sit ineligibilis?* — VIII. *Nec sit rejectus ab electione.* Nam licet is, cujus prior electio fuit cassata non vitio personæ, sed vitio formæ electionis (puta, ob non servatam formam in c. *Quia propter*, h. t., præscriptam) iterum eligi possit, non solum ad aliam, sed etiam ad eandem Ecclesiam; secus tamen est dicendum, si electio eujuspiam cassata fuit vitio personæ, sive ob crimen ipsius vere commissum, atque probatum. Talis enim indistincte est ineligibilis, adeo ut nec in eadem, nec in alia Ecclesia eligi valeat; ut c. *Super eo*, 12 h. t. ac notat Glossa ibid. vers. *Non vitio personæ.* et Abbas, n. 3, ac Barbosa, n. 2; Miranda in *Manuali prælat.* tom. II, q. 23, art. 11, concl. 5; Passerinus, cit. cap. xxv, n. 634, allegans alios.

230. *Rejectus ab electione, an sit ineligibilis?* — Et hoc procedit, etiamsi postea crimen illud ob quod cassata fuit prior electio, plene

fuerit emendatum, et sublatum. Pirhing, h. t., n. 109. Nam textus in cit. c. *Super eo*, h. t. ac doctores allegati, loquuntur indistincte: simulque rejectus ab electione ex vitio personæ, seu propter crimen admissum, redditur infamis infamia facti; qualis notat ipsam personam, eamque sequitur, sicut lepra leprosum, can. *Cito turpem.*, 1, q. 1.

231. *Rejectus ab electione, an sit ineligibilis?* — Secus dicendum, quando prior electio fuit cassata non ob crimen electi, sed ob vitium corporis, ut puta, ob aliquam infirmitatem: nam si ille postmodum plene ab illa infirmitate convaluerit, non impeditur nova ejus electio: cum hic nulla consurgat infamia facti. Abbas in cit. c. *Super eo*, n. 3, h. t.

232. *Quid dicendum in dubio, num electio fuerit cassata vitio formæ vel personæ?* — In dubio autem, num electio fuerit cassata vitio personæ, an vitio formæ (quale dubium oriri posset quando electio absque expressione causæ simpliciter cassatur) tunc pro ejus resolutione oportet uti distinctione. Quia aut opponatur solum contra formam; et præsumitur cassata vitio formæ, seu ob non servatam formam: nam sententia simpliciter prolata debet intelligi secundum acta, ut l. *Si præses*. ff. de *Pœnis*. Aut opponatur solum contra personam: et præsumitur cassata vitio personæ, ob rationem dictam. Aut opponatur contra formam, et personam simul; vel etiam ipsa electio rejicitur ex officio superioris nemine opponente: et tunc in dubio præsumitur cassata vitio formæ; siquidem stante dubio, in odiosis facienda est benignior interpretatio, juxta reg. 49 juris in 6; cum concordantiis. Abbas, loc. cit. n. 6. Baldus in cit. *Super eo*, n. 1, h. t. Passerinus, loc. cit. n. 641, et alii.

233. *Eligendus debet esse de gremio capituli, saltem de honestate.* — IX. *Et sit de gremio.* Hoc est, quod eligendus sit de gremio Ecclesiæ, capitali, diœcesis, aut provinciæ, ubi fit electio (dummodo ibi reperitur idoneus) non autem extraneus, aut peregrinus. Siquidem electus de gremio Ecclesiæ, ut in pluribus consuevit esse utilior ad bonum commune, quia magis diligit Ecclesiam, in qua nutritus est, prout notat D. Thomas 2, 2, q. 63, art. II, ad 4. Simulque tales, qui antea ignorati fuerunt, non sunt præponendi clericis jam emeritis in suis ecclesiis, can. *Nec emeritis*. et can. *Nullus invitis*. et can. *Obitum*, dist. 61. Quanquam eligere aliquem de gremio Ecclesiæ, non sit de necessitate,

sed solum de honestate: atque ideo electio extranei facta a majori parte capituli sit valida, et confirmanda, quando aliud canonicum non obstat. Glossa c. *Cum inter canonicos*, 21, vers. *Aliam*. h. t. rejiciens aliorum sententiam, et ibi Abbas n. 9, et Barbosa n. 2; Miranda, cit. quæst. 23, art. 21, concl. 1. Passerinus, d. cap. xxv, n. 649, allegans alios.

234. *Aliæ qualitates eligendi. Remissive.* — Tacentur aliæ qualitates ex parte eligendi requisitæ: ut quod « sit corpore sanus, » ita ut officio suo rite fungi valeat: « Conditione liber, non servus: nec bigamus, » ac hujusmodi. Nam, cum talia requirantur ad ordines sacros rite suscipiendos, can. *Infames*. 6, q. 1, cum concordantiis; multo magis ea desiderantur in eligendis, ac promovendis ad prælaturas ecclesiasticas.

§ X.

DE ELECTIONE DIGNIORIS PRÆ MINUS DIGNO.

235. *Dignus, et dignior respectu beneficii ecclesiastici; quis?* — Quæritur I. An licite possit eligi dignus, omissa digniori? Ubi sciendum, quod *Dignus* respectu beneficii ecclesiastici dicatur ille, qui habet sufficientiam, omnesque qualitates de jure requisitas, ad ejus ministerium rite obeundum. *Indignus* vero cui deest aliqua ex qualitatibus ad ministerium beneficiale de jure requisitis. Cæterum *Dignior* censetur, qui comparatione aliorum majorem sufficientiam, aptitudinemque ad ministrandum habere dignoscitur.

236. *Major dignitas eligendi, unde mensuranda?* — Et quidem isthæc major sufficientia, dignitasque non præcise mensuranda est ex majori doctrina, vel majore vitæ probitate, aut generis nobilitate; sed conjunctim ex omnibus animæ, et corporis dotibus, ipsaque aptitudine ad regendum: adeo, ut omnibus insimul consideratis, ecclesiæ, sive prælaturæ, cui præficitur, cæteris utilior fore credatur. Unde divus Thomas, 2, 2, quæst. 185, art. 3, inter alia notanter sic inquit: « Et ideo ille, qui debet aliquem eligere in episcopam, vel de eo providere, non tenetur assumere meliorem simpliciter, quod est secundum charitatem: sed meliorem quoad regimen Ecclesiæ, qui scilicet possit Ecclesiam et instruere, et defendere, et pacifice gubernare. » Idipsum præter communem aliorum doctrinam, satis indicat concilium Trident. sess.

24, cap. 1, de *Reformat.* dum monet « digniores, et Ecclesiæ magis utiles esse præficiendos. » Hoc prænotato,

237. *Ad prælaturas, et beneficia ecclesiastica non nisi digni sunt eligendi, seu promovendi.* — Resp. I. Certum est ad prælaturas, aliaque beneficia ecclesiastica, non nisi dignos, atque idoneos esse eligendos, seu promovendos. Ita unanimis doctorum: nam rectæ rationi adversatur, assumere ad officium spirituale personam inidoneam: atqui beneficium ecclesiasticum datur propter officium, cap. ult. de *Rescript.* in 6. Hinc concilium generale, relatum in c. *Grave nimis*. 29, de *Præbend.* deplorans contrariam quorundam praxin, gemebunde pronuntiavit: « Grave nimis est, et absurdum, quod quidam Ecclesiarum prælati, cum possint viros idoneos ad ecclesiastica beneficia promovere, assumere non verentur indignos, quibus nec morum honestas, nec litterarum scientia suffragatur: carnis sequentes affectum, non judicium rationis; unde quanta Ecclesiis damna proveniant, nemo sanæ mentis ignorat. » etc. Concordat concilium Trident. sess. 7, cap. III, de *Reform.* ubi etiam circa hoc antiquos canones refert, atque innovat.

238. *Peccant mortaliter, qui nisi quos digniores, et Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent.* — Resp. II. « Alienis peccatis communicantes mortaliter peccant, qui nisi quos digniores, et Ecclesiæ magis utiles ipsi didicaverint, ad Ecclesias promovent. » Ita verbatim concilium Trident. sess. 24, cap. 1, de *Reformat.* Quorum verborum sensum cum nonnulli auctores sinistra interpretatione perverterint, Innocentius XI, in decreto, die 2 martii 1679, emanato, sequentem inter alias, ordine 47, propositionem damnavit; « Cum dixit concilium Tridentinum, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui nisi quos digniores, et Ecclesiæ magis utiles, ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent: concilium vel primo videtur per hoc digniores non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo; vel secundo locutione minus propria ponit digniores, ut excludat indignos, non vero dignos; vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus. » Hactenus propositio damnata.

239. *Idem amplius probatur.* — Concordant sacri canones, volentes, quod eligatur dignissimus, ut can. *Metropolitano*, dist. 63,

ibi: «Optimus ordinetur.» Et can. *Licet*, 8, q. 1, ibi: «Qui præstantior est ex omni populo, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligitur ad sacerdotium.» Unde in cap. un. § *Omnibus*, *Ut ecclesiastica beneficia*, etc., Pontifex merito quempiam comprehendit illis verbis: «Quia, non ex affectu carnali, sed discreto iudicio debuisti ecclesiasticum officium, et beneficium in persona magis idonea dispensare,» cum concordantiis. Accedit ratio, tum quia «Ecclesiarum regimen est onus angelicis humeris formidandum,» ut loquitur concilium Trident. sess. 6, cap. 1, *de Reformat.* illico hinc inferens, quod ad illud, «qui maxime digni fuerint,» assumantur; ergo peccant, et quidem mortaliter qui ad tam grave officium, tantumque onus scienter eligunt minus dignum, minusque idoneum, prætermissis magis idoneo: sunt enim causa omnium malorum atque peccatorum, ex promotione minus digni, minusque idonei subsequentium; sicque, ut loquitur concilium Trident. communicant alienis peccatis, tum quia scienter eligens minus dignum prætermissis digniori, magisque idoneo, committit crimen acceptionis personarum, consistentis in eo quod aliquid personæ attribuitur præter proportionem dignitatis suæ; atqui acceptio personarum in spiritualibus eo magis peccatum est, quo spiritualia temporalibus præstant, ut docet divus Thomas 2, 2, quæst. 63, art. 2; tum tandem, quia habentes jus eligendi non sunt domini beneficiorum ecclesiasticorum, sed tantum dispensatores mysteriorum Dei, seu iurium spiritualium, juxta sacrum Apostolum, I *Corinth.* IV, 1, sicque tenentur ex jure naturali, atque vi officii dispensatoris, consulere bono communi, sive Ecclesiæ, modo meliori: atqui hoc non præstant, quando ad Ecclesiam, et regimen animarum, scienter eligunt minus dignum prætermissis digniori, et magis idoneo; ergo.

240. *Procedit non solum in episcopis, et cardinalibus, sed etiam in habentibus jurisdictionem quasi episcopalem.* — Resp. III. Præmissa, et tam inter theologos, quam canonistas nunc receptissima sententia, procedit non solum de episcopis, et S. R. E. cardinalibus, utpote de quibus eorumque electione concilium Trident. cit. sess. 24, cap. 1, *de Reformat.* expressam mentionem facit, quidquid olim contradixerit Glossa magna can. *Licet* ergo, 8, q. 1, cum paucis aliis, quos ci-

tat Diana, part. II. *Tract. Miscellan.* I, resolut. 40. Sed etiam ipsa locum habet in illis omnibus, qui habent jurisdictionem quasi episcopalem: uti sunt abbates, vicarii, et priores nullius diocesis, ac prælati regulares. Ita Joan. Cardenas in *Crisi theologica*, super proposit. 47. Innocentii XI, cap. II, n. 41. Idque ob rationes jam allegatas, et adhuc num. seq. allegandas: nam et his regimen animarum, angelicis humeris formidandum, incumbit.

241. *Imo et in promovendis ad ecclesias parochiales.* — Quæritur II. Utrum allata doctrina de eligendo digniori ad prælaturas ecclesiasticas, etiam locum habeat in promovendis ad Ecclesias parochiales? Resp. affirmative; adeo, ut electionem seu promotionem minus digni, seu minus habilis ad regendam Ecclesiam parochialem, prætermissis scienter digniori, sine peccato mortali fieri non posse, communem, et omnino veram sententiam esse, dicat Passerinus, cap. xxx, *de Election.*, n. 1, allegans plurimos auctores, addensque n. 81, id esse certum; atque insuper Joan. Cardenas, in cit. *Crisi theologica*, super proposit. 47, per Innocentium XI, damnata, cap. IV, n. 46, asserat, etiam huic damnationi subjacere, si quis dixerit, ubi concilium decernit, ad munus parochiale esse eligendum digniorem, nomine *dignioris* intelligi *dignum*, sumpto comparativo pro positivo, aut intelligi non digniorem, aut solum eligi in concursu. Quod ultimum etiam novissime docet Joan. Maria Sbogar in *Theologia radicali*, tract. XV, n. 40, asserens, quod «Si quis affirmaret dignum sufficere, relicto digniore pro parochia, incurreret damnationem propositionis 47, ab Innocentio XI. proscriptæ.» Hæc ille. Rationes hujus sententiæ partim desumuntur ex dictis: nam etiam parochis incumbere censetur regimen ecclesiarum, atque animarum, c. *Cum non ignores*, 15, *de Præbend.* cum similibus; ad quod proinde, veluti onus angelicis humeris formidandum, non nisi digniores, ac maxime digni sunt assumendi. Unde concilium Trident. sess. 24, cap. xviii, *de Reformat.* expresse statuit, quod peracto examine, in concursu ad Ecclesiam parochialem vacantem præmittendo, ex examinatis, et ad vacantem Ecclesiam parochialem gubernandam idoneis repertis, episcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum judicaverit.

242. *Solvitur instantia.* — Dices. Hinc so-

lucendo sequi, quod ad Ecclesiam parochialem debeat eligi dignior, quando fit concursus, utpote de quo fit mentio in cit. cap. xviii, non autem extra concursum: quia idem concilium Trident. sess. 7, cap. III, *de Reformat.*, inhærendo antiquis canonibus, solum vult ut «inferiora beneficia ecclesiastica præsertim curam animarum habentia, personis dignis et habilibus — conferantur.» Simulque idem concilium, in cit. cap. I, sess. 24, *de Reformat.*, non loquitur de beneficiis inferioribus, et parochialibus, sed solum de culminibus beneficiorum: ut sunt episcopatus, et cardinalatus. Sed contra est primo: Hæc responsio in terminis est reprobata, et damnata ab Innocentio XI, allegatam propositionem 47 condemnante; nam dicta damnata propositio, in sua ultima parte, hoc ipso modo interpretabatur sinistre concilium Trident. illis verbis: «Vel tandem loquitur tertio quando fit concursus.»

243. *Et amplius hoc ultimum probatur.* — Contra est secundo: quia ratio in cit. cap. I, sess. 24, a concilio Trident. allegata de promovendis dignioribus ad beneficia, est generalis omnibus beneficiis curam animarum habentibus: nam ea in hoc consistit quod «omnes et singuli, qui ad promotionem præficiendorum quodcumque jus habent — meminerint, nihil se ad Dei gloriam, et populorum salutem utilius posse facere, quam si bonos pastores, et Ecclesiæ gubernatores idoneos promoveri studeant: eosque alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores, et Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis, præfici diligenter curaverint.» Hæc concilium. Atqui ista tota ratio licet ibidem in progressu specialiter applicetur ad promotionem digniorum ad episcopatus et cardinalatus, etiam militat in dignioribus ad parochias promovendis; cum etiam hi sint pastores, et Ecclesiæ suæ gubernatores: ergo, cum ratio legis sit anima legis, atque ob identitatem rationis in lege expressæ recte fiat extensio, juxta uberius dicta, tit. *de Constitutionibus*, n. 388 et 429, quæ per dictum concilium statuta, aut potius declarata fuerunt circa electionem digniorum episcoporum, et cardinalium, recte ob identitatem rationis extenduntur ad promotionem digniorum parochorum.

244. *Etiam ex decreto Innocentii XI.* —

Atque hanc doctrinam esse conformem menti concilii Trident. confirmat jam allegatum decretum Innocentii XI, dum damnat propositionem 47, qua nonnulli concilium Trident. cit. cap. I, sess. 24, inter alia explicare perperam studebant, illis verbis: «Vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus.» Nam concursus, de quo hic sermo est, non fit nisi quoad Ecclesias parochiales, et consequenter ibidem supponitur citatum cap. I, etiam de Ecclesiis parochialibus procedere.

245. *In sermone concilii Tridentini idem est Dignus, ac Dignior.* — Neque urget concilium Trident. sess. 7, cap. III, *de Reformat.* volens, quod beneficia inferiora, præsertim curata, conferantur dignis, et habilibus. Resp. enim, hoc quidem semper requiri in collatione beneficiorum (alioquin hæc foret invalida ipso jure) simulque satis esse ad validitatem collationis, seu electionis, ut n. 248 dicitur: non tamen id sufficere, ut collatio illa licite fiat, quando præsens est alius, quem eligens, seu conferens, rite pensatis omnibus, agnoscit, et judicat esse digniorem atque Ecclesiæ utiliorem; prout idem concilium postea sess. 24, cap. I, et xviii, sese explicat, monens, atque declarans in tali casu eligendum esse digniorem. Deinde, ut notat Passerinus, cap. xxx, *de Elect.* n. 62, in sermone concilii Tridentini idem est *Dignus*, ac *dignior seu maxime dignus*, prout liquet ex cit. cap. I, sess. 24, ubi a principio dicitur, *bonos pastores*, et Ecclesiæ gubernandæ *idoneos* esse promovendos; et illico subditur, eos peccare mortaliter, qui non «quos digniores, et Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint,» præfici curaverint. Sicut et ibidem circa finem habetur, cardinales *idoneos* esse assumendos; et statim subjungitur, debere assumi *lectissimos tantum*.

246. *Tunc peccatur mortaliter, quando promovetur quis ad beneficium, omisso notabiliter digniori: secus si excessus sit modicus.* — Notant tamen doctores, quæ hactenus de peccato mortali dicta sunt, tunc locum habere, quando dignus promovetur ad beneficium omisso scienter digniori, et quidem notabiliter digniori; tum quia major isthæ dignitas non semper distincte potest dignosci, eo quod sit mensuranda ex omnibus qualitatibus insimul consideratis, ac non raro, qui præcellit scientia, ab alio superetur in probitate vitæ, vel agendorum dexteritate, aut aliis qualitatibus; ut proinde non mirum sit, quod tam diversa subinde ab eligentibus ju-

dicia formentur; tum quia, quando excessus dignitatis in eo, qui prætermittitur, modicus est, ac parvus dumtaxat supra eum, qui promovetur, etiam tunc non committi peccatum mortale, recte notant doctores; ut Lugo, disp. 35, *de Just. et jure.*, sect. 3, n. 21; Sanchez, lib. II Consil., cap. II, dub. I, n. 17; Garcias, part. VII, *de Beneficiis*, cap. XV, n. 2; Navarrus, Sotus, Sylvester, et alii ab ipsis relati. Siquidem tunc a mortali excusat parvitas materiæ, sicut et in aliis talibus materiis istud contingere solet.

247. *Et quid dicendum de beneficiis simplicibus.* — Deinde loquendo de beneficiis simplicibus, et nullam curam animarum habentibus, non esse peccatum mortale, eadem conferre dignis, omissis dignioribus, censent multi auctores; ut Lugo, cit. disp. 35, sect. 2, n. 20. Lessius, lib. II, *de Justit. et jure*, cap. XXXIV, dubit. 14, Garcias, part. VII, *de Benefic.* cap. XVI, n. 16. Navarrus, lib. II, *de Restitut.* cap. II, n. 172; Diana, part. II, tract. 1, *Miscellan.* resolut. 38, ac præter alios, quos allegat, probabile censet Joan. Cardenas super cit. proposit. 47 Innocentii XI, cap. I, n. 6, quamvis contrarium tenere videatur divus Thomas 2, 2, q. 63, art. 2, eumque non pauci alii sequantur. Ratio prioris sententiæ est: quia neque concilium Trident. cit. sess. 24, cap. I, et XVIII, neque dicta propositio damnata, agit de beneficiis simplicibus, sed solum de curatis, simulque periculum tanti mali inde non imminet, neque ex his adeo pendet bonum Ecclesiæ, sicuti fit in curatis; ac proinde facilius potest excusari elector, qui semel aut iterum digniorem omittit, dummodo alter sit vere dignus, et hoc communiter non fiat; prout limitat Lugo, cit. n. 20, et Lessius, ubi supra, ne alioquin successive graviter lædatur Ecclesia, si semper digniores omittantur, et nemo curet promovere digniores in ejus ministros.

248. *Electio digni omissa digniori, est valida.* — Quæritur III. Utrum valida sit electio digni, prætermisso digniore facta? Resp. Licet electio indigni ipso jure sit irrita, atque invalida, ut c. *Badum*, 22, *de Election.* cum concordantiis, nihilominus si fiat electio digni, posthabito etiam digniori, eadem in utroque foro, tam interno scilicet, quam externo, valida est, nec rescindi potest. Ita Glossa magna, circa fin. can. *Nullus*, dist. 61; divus Thomas, cit. quæst. 63, art. 2 ad 3, Garcias; cit. cap. XVI, n. 2, citans plurimos alios, Zoesius, h. t. n. 45; Engel, eod. n. 47, cum

communi. Idque desumitur ex c. *Cum nobis*, § *His igitur*, 19, et c. *Cum dilectus*, 32, h. t. ubi talis electio minus digni omissis dignioribus refertur, et stantibus aliis confirmanda censetur. Accedit ratio, quia si electio impugnari posset in foro externo, seu judiciali, ex eo dumtaxat, quod non fuerit electus melior, facile omnis electio posset habere hanc calumniam, et lata porta aperiretur innumeris litibus, quod est absurdum.

249. *Solvitur instantia.* — Nec obstat, quod eligentes peccent, simulque intentio Ecclesiæ sit, ut eligantur digniores. Resp. enim neg. sequel. Nam imprimis « multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem, » ut dicitur in c. *Ad apostolicam*, 16, *de Regular.* Accedit, quod Ecclesia nullibi rejiciat, seu irriter electionem digni (bene tamen indigni) et hoc ob commune bonum pacis: alioquin enim omnes prope modum electiones essent in discrimine, et locus infinitis litibus, si ea dumtaxat de causa eveniri possent, quod non fuerit electus dignior.

250. *Quid dicendum de constitutione Pii V, in conferendis?* — Dices Beatus Pius V, in constitutione, *In conferendis*, 1566. 13 cal. aprilis edita (quam refert Garcias part. IX, *de Beneficiis*, cap. II, num. 3.) inter alia expresse cavet, quod si episcopus minus labilem posthabitis magis idoneis elegerit ad ecclesiam parochialem, possint ii, qui rejecti fuerunt, appellare ad metropolitanum, et constituto de prioris eligentis irrationabili judicio, eoque revocato, ecclesia parochialis magis idoneo conferatur. Resp. hoc esse speciale in electione ad parochialem ecclesiam per concursum; idque ob specialem dispositionem dicti beati Pii V. Quamquam recte notat Passerinus, cap. xxx, *de Elect.* num. 88. cum aliis, etiam talem appellationem esse parum utilem, ad hoc, ut in foro externo electio minus digni cassetur; tum quia major habilitas, seu dignitas ad beneficia ecclesiastica pendet non solum a majori scientia, sed etiam ex prudentia, solertia, dexteritate ad regendum, nobilitate ac potentia familiæ, et nonnullis aliis circumstantiis externis, quæ possunt movere ad exclusionem doctissimi et sanctissimi viri; unde nimium difficile erit probare, quod judicium episcopi eligentis minus dignum fuerit irrationabile; tum quia adeo vehemens est præsumptio pro ordinario, ut debeat clare doceri de dolo, et irrationabilitate ipsius, juxta Rotam decis. 537, part. I, *Recent.*

§ XI.

DE POENIS ELIGENTIUM INDIGNUM, AUT NON SERVATA DEBITA FORMA, SEU TEMPORE A JURE STATUTO.

251. *Eligentes indignum, ipso jure privati existunt pro una vice potestate eligendi.* — Quæritur I. An, et qua ratione eligentes indignum priventur jure eligendi? Resp. I. Eligentes scienter indignum, v. g. excommunicatum, vel habentem defectum in ordinibus, scientia, ætate, natalibus, aut hujusmodi, ipso jure privati existunt pro una vice potestate eligendi. Ita habetur c. *Cum in cunctis*, § fin. 7, h. t. ibi: « Eligendi tunc potestate privatos se noverint. » Concordat c. *Cum Vintoniensis*, 25, et c. *Scriptum est*, 40, eod. estque certa, et communis doctorum. Atque hæc poena non solum procedit in eligentibus, sed etiam in postulantis scienter indignum; ut cap. I, *de Postula. prælat.* et ibi Glossa, § *Privari*, et Abbas num. 31, et alii, hoc intelligentes, si postuletur habens defectum indispensabilem, aut in instrumento postulationis non expressum.

252. *Et non primum per sententiam.* — Dices. In cit. c. *Scriptum est*, dicitur quod eligentes, vel postulantes scienter indignum, « merito debeant eligendi, seu postulandi potestate privari; » ergo non ipso jure, sed primum per sententiam judicis erunt privandi. Resp. neg. consequent. Quia, ut explicat Glossa ibidem, ly *privari*, refertur ad factum; cum sint ipso jure privati, juxta alios textus citatos: et significat tales postmodum per sententiam judicis, suborta aliqua lite, seu exceptione, debet nuntiari seu declarari, quod sint privati. Quo modo passim consimiles locutiones sint intelligendæ, quando per alia jura constat poenam ipso jure infligi, dictum est tit. *de Constitutionibus*, § 9, num. 220.

253. *Dummodo scienter elegerint indignum: secus, si ignoranter.* — Additur notanter n. 251. « Eligentes scienter indignum. » Nam secus dicendum, si id fiat ignoranter, prout desumitur ex c. *Innotuit*, 20, et cit. c. *Cum Vintoniensis*, juncta Glossa § *Scienter*, h. t. et notat Abbas c. *Cum in cunctis*, § *Clerici*, n. 2, eod.; Passerinus, cap. 29, *de Election.* n. 78, et alii.

254. *Eligens indignum et allegans ignorantiam cogitur hanc probare.* — Verumtamen

eligens indignum, et asserens, se id ignorantiter fecisse, cogitur probare ignorantiam, arg. cit. c. *Innotuit*, h. t. ubi Pontifex eligentibus indignum solum ex gratia remisit, quod non cogentur probare ignorantiam quam allegabant; et notat ibidem Glossa, § *Ignorantiam*, et Abbas n. 7, inde inferens, quod ignorantia in facto alieno non præsumatur, quando quis ex officio inquirere tenetur; prout vocales ex officio tenentur inquirere de qualitatibus eligendi.

255. *Præsumitur ignorantia ubi scientia non probatur: explicatur.* — Nec obstat regula 47 juris in 6, ubi dicitur: « Præsumitur ignorantia, ubi scientia non probatur. » Nam hæc regula non habet locum, quando quis ex officio scire, ac indagare tenetur, arg. cit. c. *Innotuit*, et concordat c. *Quamvis*, 10, *de Reg. jur.* ubi in simili dicitur: « Non potest esse pastoris excusatio, si lupus oves comedit, et pastor ignorat, » seu se ignorasse allegat.

256. *Ignorantia, quomodo probari possit.* — Potest autem ignorantia in proposito probari, vel ostendendo, quod electus communiter habebatur pro legitimo, seu habili, ac veluti talis fungebatur publicis honoribus; vel saltem per proprium juramentum. Glossa in d. c. *Innotuit*, § *Ignorantiam*, in fin. quam sequitur Abbas ibid. n. 22, istud limitans, dummodo talis communiter non fuerit habitus pro illegitimo; quia tunc non staretur juramento.

257. *Dicta poena privationis potestatis eligendi non incurritur, nisi sequatur communis electio.* — Resp. II. Etsi peccent, qui scienter dant suffragium indigno, nihilominus memoratam poenam privationis potestatis eligendi pro una vice non incurunt, nisi etiam sequatur communis electio indigni; id est, nisi etiam publicæ seu capitularis electionis decretum fuerit promulgatum. Ita communis; et habetur decisum in c. *Perpetuo*, 7, h. t. in 6, ibi: « Declaramus, quod scienter in electionibus nominantes indignum, propter suffragium in scrutinio præstitum (nisi adeo in eo perstiterint, quod ex votis eorum communis electio subsequatur) nequaquam eligendi potestate priventur: licet pro eo, quod indignum nominando, scienter contra conscientias suas agunt, et divinam vindictam, et apostolicæ ultionis metum, quem qualitas facti suaserit, possint non immerito formidare. » Accedit ratio: quia verba legis penalis debent intelligi cum effectu, ut c. *Relatum*, *de Cler. non resident.* Deinde infra allegata